DE

QUIBUSDAM ORATORIS PUBLICI OFFICIIS.

DISSERTATIO LITERARIA

QUAM

CONCESSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

EDUARDUS GRAUERT,

PHILOSOPHIAE DOCTOR,
COLLEGII UNITATIS IN URBE RIO GRANDE DO SUL DIRECTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXVIII.

Quaenam est atque in quanam re versatur res rhetorica?

Gorgias hac de re interrogatus respondit, rhetoricam esse rationum scientiam et idoneas nos ad dicendum facere; sed Socrates objicit, hanc jam caeterarum quoque artium esse rationem, ex g. medicinae artisque gymnasticae. Omnium, recte opinatur illustrissimus ille philosophus Socrates, artium aliae in operibus faciendis magnam partem occupatae sunt, velut ars pingendi et statuaria; aliae contra orationibus omne perficiunt, velut arithmetica; aliae tandem ferme aequales habent sermonis actionibus. Quum rhetorica sit harum una artium, quae magnam partem oratione utuntur, quaerendum est, quâ ratione ab illis differat? Arithmetica ars spectat ad par et impar, orationes

astronomiae spectant ad astrorum cursum. Rhetorica ars et contra maximas, si velis, tractare potest humanarum rerum.

Haec enim ars rhetorica efficere debet, ut simul liberi sint homines simulque ipsa eloquentiâ multitudini ad optima quaeque persuadeat. Persuasionis autem opifex illa est ars optimo quodam modo, ei fidem efficit de justo et injusto.

Perspicue nobis ergo apparet, verum honestumque oratorem publicum in justo et injusto, turpi et pulchro, bono et malo bene se ipsum habere eaque jam antea percepisse. Quare ars rhetorica non est institutum quoddam artificiorum, sed facultas animi sagacis et fortis ad tractandos homines.

Vir bonus et optimi causa dicens verba faciet haud temere, sed respiciens aliquid; quemadmodum etiam reliqui opifices omnes, suum quisque opus respiciens, non temere quicquid adhibent operi suo, sed hoc consilio, ut formam aliquam habeat id quod fabricantur. Si, exempli causa considerare vis pictores, architectos quoscunque alios volueris opifices, videre possis, quomodo ordine quodam

quidvis ponant cogantque alterum alteri conveniens esse atque congruere, donec universum composuerint opus. Haec respiciens orator bonus publicus orationes suas adhibebit animis et actiones cunctas, ad hoc animum semper applicans, ut civibus suis justitia quidem in mentibus exsistat, injustitia vero expellatur, et temperantia quidem exsistat, incontinentia vero expellatur et reliquae quidem virtutes exsistant, pravitas non discedat.

Ita nobis instituendum est, civitatem et cives curare, ut quam optimos eos cives efficiamus. Nihil enim prodest aliud ullum beneficium conferre, nisi honesta et bona est eorum mens, qui vel opes multas accepturi sunt vel imperium vel aliam quamcunque potestatem.

Quum is, qui reipublicae gerendae studet, contendere debeat, ut cives quam optimi exsistant, optimum spectare, non jucundissimum populo eum oportet. Cavendum est magis injuriam ne faciamus, quam ne accipiamus. Prorsus reipublicae administrandae praefectus et orator debet

eniti ac contendire, ut non videatur esse bonus, sed ut vere sit, et privatim et publice.

Omnis adulatio et adversus se ipsum et adversus caeteros, tum multos tum paucos, fugienda et ars rhetorica semper justi causa adhibenda, ut reliqua omnia quae geramus. Nihil enim indigni patieris, si revera es honestus ac bonus et studius veritati; cui quum studuimus, aggrediemur ad res civiles, vel quodcunque nobis videtur, magis idonei ad deliberandum.

Minime honesto viro satis est, magistratum capere, quem multi malis artibus adipiscuntur, sed etiam curam habeas, ut cognoveris, quantum respublica domi militiaeque armis, opulentiâ aut eloquentiâ possit. Permultum sane tibi proderit ad has res cognoscendas, historiae omnium temporum legumque te esse peritum; quorum studiorum gravitas atque necessitas tam est apparens, ut minime de his debeam exponere principia.

Multi homines inertissimi, quorum omnis vis virtusque in lingua sita est, dominationem forte oblatam insolentis agitant. Multi reipublicae prae-

fecti nimis pecuniae student, quod nisi sustuleris a te malum, neque privatas res neque publicas, neque domi, neque militiae bene regere poteris. Nam ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina, neque artes bonae, neque ingenium ullum satis pollet, quia animus postremo succumbit et ad voluptatem a vero deficit. Ubi divitiae clarae habentur, ibi omnia bona vilia sunt. Avaritia divina cum humanis permiscit atque famâ, fide ac probitate cunctos mortales spoliat.

Vigilantia et labor aeque necessaria sunt bona oratori publico, ac virtus, ad rempublicam bene administrandam. Comperi, omnia regna, civitates, nationes, usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt; ubicunque gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paulo diminutae opes, deinde ademptum imperium, postremo servitus imposita est. Caveas ergo labore ac vigilantiâ, ne quid detrimenti respublica capiat, libertatemque gloriâ cariorem habeas.

Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; omnium autem caritatem patria complexa

est, pro qua nemini dubitandum mortem ipsam obire, si ei profutura sit. Quo est detestabilior eorum immanitas, qui omni lacerarunt sceleri patriam in eaque delenda sunt occupati vel fuere.

Illa dua Platonis praecepta semper tibi sint in animo: unum, ut reipublicae gerendae studens commodi tui ipsius obliviscaris, qui civium utilitas semper maxime est tuenda; alterum, ut totum corpus reipublicae respicias, ne, dum unam partem tueris, reliquas deseras. Qui enim parti solum consulunt, alias partes negligunt, discordiam atque seditionem inducunt. Et quo evenit, tantum paucissimos universo placere populo. Hinc apud Athenienses seditiones, hinc pestifera illa bella civilia Romanorum aliarumque nationum. Civis ut sit in republica principatu dignus, non consectari debet ipsam suam gloriam utilitatemque, sed omnibus consulit civibus fugiendo discordiam ac omnino conservando justitiam.

Nihil laudabilius, nihil praeclaro viro dignius clementiâ atque placabili animo. Ita est probanda mansuetudo, ut ista solum adhibeatur

reipublicae causa severitas, sine qua nulla civitas fortiter potest administrari. Caveas certe, ne quid contumeliae illâ eveniat severitate, semperque ad reipublicae solum referas utilitatem.

Curiculum vitae.

Natus sum VI Idus Martias MDCCCXXXIV Manhemii, urbe Rhenana, ubi pater meus Gerhardus Josephus Grauertus publici literarum professoris partes agebat. Annum quintum me ingrediente, parentes mei sedem ac domicilium transtulerunt Aug. Trevirorum, hujusque urbis et scholam elementariam frequentavi et gymnasium per quinque annos. Hoc ipso tempore pater meus a vita discessit, eamque ob rem gymnasio quidem egressus sum, sed et domi et Bonnae maxime, fratrum meorum ad philologiae studia incumbentium opere, eas literas tractavi, quibus juvenes ad disciplinas academicas informantur. Quum autem fratrum alter esset invitatus, ut in provinciâ Brasiliensi „Rio Grande do Sul“ paedagogi locum teneret, non du-

bitavi quin eum illuc prosequerer. Sed ante quam proficiscerer, militiae sustinendae officium servare opus erat; idque feci anno MDCCCLVI Augustae Trevirorum, legioni vicesimae nonae adscriptus. Deinde ex Germania profectus atque primum Status unitos Americae Septentrionalis aggressus, Columbi, Status „Ohio" urbe capitali, paedagogio americo-germanico addictus, per duos annos magistri partes egi.

Certior factus a fratre meo, qui in urbe Brasiliensi „Pilotas" scholam privatam aperuerat, ut quam celerrime ad eum venirem, ex America Septentrionali demigravi, et provinciae „Rio Grande do Sul" plagas attigi IV Idus Februarias MDCCCLIX. Per duos tantum annos hic magistri officio functus sum; deinde urbem proximam „Rio Grande" appellatam me transtuli, ubi per duodeviginti menses magistri locum tenui. Deinde, me directore, in eadem urbe scholam aperui privatam, ad quam septem annos vigentem usque ad hunc diem semper circiter centum et viginti discipuli venerunt, adjuvantibus me sex submagistris.

Quattuor prope annis abhinc medici Lusitani filiam in matrimonium duxi, quod, quae Dei optimi est benignitas, duobus liberis saluberrimis jam est fortunatum.

Eduardus Grauertus.

Rio Grande do Sul
Idibus Septembribus MDCCCLXVII.